

bant, plana, ubi vero obliquo, & montes, & valles, & maria, & fontes conspicerentur, tanquam ex utero propullulantes.

§. 4.

Terræ productione breviter ex hypothese sic deducta, [mei enim non est, illam juxta omnes circumstantias plenariè describere, qui v. pleniorum desiderat, adeat *Cartesii Princ: Part: IV. & Chauvin: Lex: Philos: & similes*) progredior non remorante pede ad *locum metallorum*, dicoque eundem *primum* esse crustam terræ inferiorem, quæ summo calore ab igne centrali oriundo fovetur. Ex illa a. crusta non eruuntur, cum nemo hominum eo pervenire possit, tum propter aquas interjacentes iter illud impediennes, tum etiam propter vehementissimum calorem à motu celeri materiæ centralis excitatum. Si enim Sol à nobis remotissimus juxta computationem Astronomorum, in quæ finem vid. *Boyl: de utilit: Phil: experim: Exerc: II. p. 29.* tantum potest in terra & nobis excitare calorem, quid non metuentum est in crusta inferiori non integrum forte milliare ab ipso igne distante. Sed potius in superiorem crustam attolluntur, ex qua postmodum non sine labore effodiuntur. Ordo igitur dicendorum nos ducit ad *principia Metallorum constitutiva* explicanda, tanquam materiam eorundem proximam. A me autem non exigetur, ut hoc loco accuratam & prolixam principiorum metallorum constitutorum descriptionem tradam, cum partim brevitatis, cui studeo, id non permittat, partim etiam id non requirat inevitabilis necessitas. Ne a. plane silere videar aliqua in medium prolaturus sum. Sunt quidam, ut *Gilgil Mauritanius*, qui statuunt materiam metallorum esse cineres aqua madefactos. *Georgius Agricola* aquam cum terra mixtam pro principio vendit, uti *Gilbertus* refert. Quam compositionem etiam ad-

ad-